

domadalis die celebrabantur, intermedio quodam inter primum & septimum die adveniebat; atque sic *ordinarium illud Sabbatum dignitate primum, quia ordine tum secundum erat, post primum scilicet ante ultimum diem festi*, vocabatur *δευτεροπρωτον*, ut recte legimus in *Harmon. Chemn. l. c.* Quare ut tandem ad scopum perveniamus, cum omnes variantes de *Sabbato deuteroproton* sententias h. l. longo ordine addere instituti ratio non permittat, quas apud *Müllerum, Frischmuth. Chemnitium* & alios tum ab iis tum à *Lundio* locis ante nominatis citatos videre licet; juxta sententiam ultimo adductam, quod scilicet per *Sabbatum deuteroproton* ipsum *Sabbatum hebdomadale* inter medios Paschatis dies tunc temporis occurrens indicetur, statuendum est: historiam de confractione à discipulis Christi spicis ponendam esse post primum capituli V. verum, cum Christus scilicet Festi ergo Hierosolymam advenisset, & postquam extra urbem pernoctaverat, (sicut vix quidem reperietur exemplum, quod ibi noctem quandam transegerit, conf. Joh. XVIII 1. 2. Luc. XXI, 37.) ad publice celebrandum incidens Sabbatum ordinarium in urbem reverteretur. Quoad reliqua hoc loco cum B. Sandhagenio consentio.

§. 4. Verum sicut hæc latius deducere opus non est, ita nunc ipsa dispositio est adjungenda. Prænoto a. in genere, capite quinto *Johannis* contineri *acta festi Paschatis secundi*, quæ referri possunt ad *tria capita*, quorum primum est miraculum à Christo peractum v. 1. usq; 9, *Illud* contentio de Sabbato, quæ inchoatur cum homine lanato v. 10. — 15, continuatur erga Jesum v. 16. qui se defendit v. 17. *Illud* concio de vera Deitate ac officio Christi, ita ut recenseatur (α) *ocasio*, sc. aucta ex defensione Christi Judæorum indignatio & persecutio, v. 18 (β) *secuta Christi informatio* apologetica v. 19. — 30. (γ) eorum, quæ prolata erant, *firma probatio*, productis irrefragabilibus certisque *testimoniis*, à Patre cœlesti profectis v. 31. 32, quorum ordine commemorat *quinque* (1.) *Johannis Baptistæ* v. 33. 34. 35. (2.) *operum* ab ipso perpetratorum v. 36. (3.) *vocis* de cœlo v. 37. (4.) *Verbi Divini* in Scriptura exhibiti v. 38. 39, & (5.) *Mosis* speciatim v. 45. 46. 47. Ipsum igitur dictum nostrum pertinet ad argumenta probantia

Divini